

## Ophrydeae Lindl.

1. **Habenaria petalodes** Lindl. Gen. Sp. Orch. 316: **var. micrantha**. Rchb. f. ined. Non spithamaea, polyphylla. Folia abbreviata ovata acuta in bracteas abeuntia. Racemus bipollicaris subdensiflorus, floribus porrectis, bracteis semilanceis ovaria pedicellata aequantibus. Sepala oblonga obtuse acuta, tepala flabellata apice retusiuscula cum apiculo in medio, supra basin inferiorem obtusangula, obscure colorata. Labellum lineare. Calcar filiforme ovario pedicellato paulo longius. Rostelli dens liber acuminatus. Crura stigmatica obtuse acuta.

Valde mirum plantam hucdum tantum in Brasilia (terra de Itacolumi Minas Geraës Martius!) lectam in Panama repertam licet varietate adeo micrantha, ut flores bene plus duplo sint minores. Panama.